



Inv. 941.
15.

L I V O N I A

S. R. M. E T O R D I =

N V M R E G. P O L. M A G N I Q ;

D V C. L I T H. R E L I Q V I S G E N E R A L I B V S

Commissariis, Rigá abeuntibus

Adclamat, & bene precatur :

Interprete

SALOMONE FRENCELIO

à Fridenthal.

13.44

Ea Virtutis vis est, vt laudari velit in omnibus, nul-
lique laudes suas neget, nulli inuideat.



R I G A,

Typis NICOLAI MOLLINI

Anno ultima patientie,

1599.



Virtuti & meritis

MAGN. ET GENEROSORVM

DOMINORVM, DN. MATHIÆ LENIEK,
Castellan. Derpatensis, Capitanei Vxhulen, &
Kirholm:

DOM. GEORGII SCHENKING,
Castell. Venden. hæredis in Anzen, Oeconomi
Derpaten.

DOM. PETRI OSTROVII,
ab Ostrorovv &c.

DOM. BARTRAMI HOLTSCHVR,
Succamerarii Dorpaten. & Tenutarii Cremonen.

DOM. IOAN. VVILZEK,
S.R.M. Secretarii:

DOM. DAVIDIS HILCHEN,
S.R.M. per Liuoniã Secretarii, & Notarii terre-
stris Vendenfis &c.

COMMISSARIORVM GENE-
ralium Liuonia,

Et

DOM. ELIÆ PILGRZIMOVVSKY
S.R.M. per mag. Lith. Duc. Notarii, Tenut. &
Syluarum Iurgeburgen. Præfecti.



Vper, vbi Antistes cano SOLICO-
VIVS ore,
Et SAPIHILLE LEO, præstans in-
gentibus ausis,
Corpore, non animo, Neptunia
gaudia RIGAM

Deserent, epulis priùs intra Hilchenia sumtis
Tecta laresque, piis ego læta Liuonia votis
Permiscens precibus grates, comitabar euntes;
Tumque eadem, ô Proceres, post exanthlata laborū
Pondera me nudo memini promittere vobis
Verborum augurio, gratæ pia symbola mentis.
Nunc, quoniã & vobis magnū est maris æquor aratū,
Promissis seruabo fidem; sed plurima paucis
Complectar: nam vestra meam præconia vocem
Exsuperant, tantisque impar infantia factis
Est mea. LENIKI leni vultuque animoque
Conspicue, antiquum genus, & prænobile lumen,
Præsidiumque ingens DORPATI, carmine forsan
Expediam tenero, quantis Pandora bearit
Te donis animi! quàm mens erecta, tenaxque
In te propositi! quà dexteritate gerendis
Incumbas rebus, commissi vt muneris acer

Inui-

Inuigiles studiis! sed queis ego laudibus æquem
Cælo facta, trucem quæ præcipitatus in hostem,
Ah miserá pro me, tu Marte fauente probasti?
Notus amor mihi, nota fides tua, dextera nota est.

Et tua, SCHENKINGI, Virtus mihi suggerit vltro
Argumentum ingens: virtus, quæ syderis instar
Ex oculis animosâ tuis & fronte coruscat.

Tu propugnaclum VENDÆ es non debile: tu spes,
Tu mea lux. nec enim maiori Patria curæ
Esse tibi poterat: te procurare salutem

Iuuat, Amice, meam: sic nomine req; GEORGVS

Tu mihi fidus eras, & eris, dum DVNA volucres

In mare fundet aquas, RIGÆQ; rigabit arenas.

Hoc tua mi spondet pietas, prudentia, constans

Relligionis amor, niueusq; in pectore candor,

Impatiens tolerare dolos, & rumpere pacta.

Sed quid ego ingrediar laudum delubra tuarum?

Ipse ingens animi ZAMOSCIVS, aurea secli

Vena, Polonorum LVX, fama, Smaragdus, Iaspis,

Cuius hyperborei tota ancillatur honori

Plaga soli, Eoo cursus mirante secundos,

Factaque virtutesque tuas speculatus ab alto,

Ipse suam est tibi dignatus, Iunone secundâ,

Iungere coniugio Neptem, propriamque dicare.

At nunc vnde tuo depromam nomine verba

Digna

Digna satis, flos, OSTROVI, intemerate Virorum,
Flos Patriæ, stirpisq; tuæ, quæ Gryphia verè est,
OSTROVIORVM alio distincta à stemmate, & illo
Insigni virtute sua? te in flore Iuuentæ
Intra natales puduit torpescere campos.
Ergo animi herous te feruor in extera traxit
Regna, verecundis & moribus, arteque multâ
Reddidit insignem: placuisti Teutonis oræ,
Illa tibi: Italiæ placuisti exinde, tibi que
Illa adeo arrisit (nec mirum, Regia Mundi est)
Illius immensas vt septem ex ordine messes
Videris: hinc reducem lato te Patria vultu
Acceptam ignavis viridi mox prætulit æuo,
Virtutes complexa tuas: hinc Regibus ipsis,
Siue sagum indueres, studiis asperrima belli
Vis animi explorata tui est, siue aula togatum
Te peteret, perspecta fides tua, summaq; rerum
Cura gerendarum, promptaq; industria mentis,
Et cultæ Veneres linguæ. Te barbarus hostis
Legato nuper viso est mansuesere visus
Turca, Tyrannorū princeps. Sic ceperat illum
In vultus translata tuos cum munere Regis
Maiestas, sic ille ardor, morumq; venustas,
Sic corpus formâ præstans, sic mentis acumen
Excelsæ, electro sic cor sincerius albo,

Sic gestus facilis, mixtus grauitate decorá,
Sic os nectareos rumpens, torrentis ad instar,
Magnanimo voces de pectore, viuudus acris
Sic vigor ingenii, sic exactissima rerum
Cognitio, & Dux illa annis prudentia maior.
Quàm meritò te Rex primam inter nobilium vim,
Quàm bene Censores inter sortisq; salutisq;
Esse meæ voluit! laudum hæc sit summa tuarum.

Nec reprimam ad laudesq; tuas & nomina vocem
HOLTSCHYRI, cui spontè suas reclusit Apollo
Diuitias. qui s te generis splendore minorem
Dicat? adest probitas, rerum certissima testis,
Nescia mens fuci, prudens solertia, & ipsum
Demeritura Deum virtus. quid plura? calore
Maiorum ardescis plùs, quam fallace colore:
Hunc Dorpatùm odit Camera, illum nouit, & ardet.

VVILZEKI, debetur idem tibi munus honorum:
Nam si committit secreta negocia dextræ
Tutò cuncta tuæ Rex tantus, & ad mea iungit
Commoda, vt æquali terras describere rastro,
Metiriq; ausis spacium quodcunque locorum,
Et tam diuina lites sine fraudibus arte
Soluere, iudicio pollens, & idoneus ad res
Quascunq; ; Aoniæ quis te neget esse cohortis,
Signiferum? quis te Regi neget esse fidelem,

Cui

Cui Rex pro grauibus condigna laboribus æquo
Præmia decernat calamo, calcariæq; addat
Ad maiora, fidem merces velut optima firmat?

Ultimus, & primus superes, si specto laborum
Totum onus, HILCHENI. si nolim, vera fateri
Cogar, vt antè meum tu sis tutatus honorem,
Iura, fidem, census, commercia, sacra, focosq;ue,
Vt nunc ingenii neruos intenderis omnes,
Quò mea viuaci curentur vulnera succo.
Vidi humeris opus omne tuis molemq; repostam:
Vidi, quo studio pro libertate Tuorum
Pugnares multo veterum diplomate Legum!
Pugnares clypeo Rationum armatus, & æqui!
Pugnares calamo, ore, animo! Tu, summa tuorum
Quæ pars est operum, ne Vis pro Iure deinceps
Sæuiret, tereti complexus es arte sacrarum
Prolixam Legum seriem, quæ sola, tot annis
Exoptata, meo Medicina sit optima morbo.

Hic opus arte fuit: nam declinare falebras,
Et nimis hei dubiæ sinuosa ænigmata Sphingis,
Ingenium poterat Paulli torquere, vel ipsum
Papiniane tuum. tantùm tibi profuit olim,
Hilcheni, Legum sacros euoluere libros,
Ex quibus & laurum petere, insignemq; tiaram,
Si placuisset, erat facile. hoc accensa tuorum

Mens Collegarum maturè aduertit, & vni
Hanc operam iniunxit, studio quæ pluribus acri
Expediunda fuit. nec spes concepta Senatum
Frustrata est. tam posse tibi, quàm velle (quod vnum
Fas animo vt spectem grato) bene amica dederunt
Numina: formosam Ioli namq; omnia Dorin
Largiri iussere tibi, quæ singula plures
Vix caperent, animi dona, aurea dona, tacere
Quæ mihi grande nefas: nec enim sunt munera Iovæ
Dissimulanda piis: horum quia gloria, Iovæ est
Gloria. te facilis Natura effinxit ad vnguem,
Atq; adeo in cunis Charisin deuinxit, & omnes
Pòst tibi doctrinæ reserauit amica recessus.
Quæ vis consilii, quæ sit tibi lactea fandi
Gratia; res loquitur. ternis conuentibus, ante
Scepترigeri solium Regis, stupuere loquentem
Semidei. quid? quòd nuper Dux ipse Senatus
Nobilium in medio confessu, in luce, diserto
Ore fidem fecit, post rot suspiria tandem
Impetrasse tua telongo ex ordine Suadâ
Hos Patres, qui me iam fractis currere remis
Edoctam, & iam iam nimis hei Scyllæ atq; Charybdi
Vicinam eriperent rabiosi gurgitis aluêo,
Et tuto fixam portu me in iura referrent
Pristina, fortunasq; darent, cerasq; vetustas.

Hinc

Hinc tabulas meritò tibi Rex (quæ gloria summa est)
Credidit arcanas, mea quà glebà vberè tellus,
Præsertim antiquæ ditio patet inclita V E N D Æ!
Te meritò argutus Censor Z A M O S C I V S, Orbis
Gloria Sarmatici, commendat, & indice chartá
Sæpius affectum doctè testatur amicum!
Te meritò Procerum longissimus Ordo favore
Prosequitur non fucato, & dignatur honore!
Et meritò pro sorte tua, longaq; salute
Nuncupo vota D E O! dixi, quæ conscia facti
Gratia me solo virtutis amore poposcit,
In veras cuiusque Boni præmissima laudes.

Nec, P I L G R I M O V I, malefida silentia famam
Virtutemq; tuam tenebrarum carcere fas est
Condere: te Moschi Rex terror & error atrocis,
Rex ille, æternos meritis virtute triumphos,
Rex, verè S T E P H A N V S, non dedignatus amore est,
Quin etiam occultos dubiis in rebus ad vsus
Adiunxit, fidei certæ argumenta secutus,
Ingeniumque sagax rimatus, & arte politum.
Nec dubitavit enim perplexa negocia rerum
Ad Moschū, portentū hominum, Eoūq; Tyrannū
Iudicio, penitusque tuæ committere curæ.
O quantum est, tanti Legatum Principis esse
Ad tales tantosque Duces, Dominoq; placere,

Et

Et patrio prodesse solo! tibi plena salutis
Contigit hæc, nulloque vnquam laus occidet æuo.
Hinc te præsentis vilum est adsciscere fidum
Concilii Socium: nec & hæc ingloria mentis
Cura tuæ fuerit: capient suffragia fructum.

O vos concordēs animæ, optatissima sortis
Fulcræ meæ, Virtute Viri, non nomine solùm,
Laudibus extollam quibus, aut quæ præmia reddam,
Quòd non vlla domi fuerint incommoda tanti,
Vt vos abstraherent ceptis: quòd fracta tyrannis
Tandè est: quòd vicit VIM IVS, Patientia fraudem,
Pax rabidam excussit Bellonam, gloria fumos,
Aurea seruitium libertas flebile, miros
Quòd secuit nodos Prudentia, splendida Recti
Quòd Lux præstigijs, & opacas dispulit vmbra,
Quòd labyrinthos Ariadnes regia flexus
Discussit, pressitq; omnes noua semita tricas,
Et deforme chaos pulcerrimus ordo subegit:
Et nunc exilium quòd lamentabile pressa
Excutiens ceruice nouos mihi spondet amores,
Spondet amicitiam, & tutæ consortia vitæ,
Iamque triumphales stipata Sororibus arcus,
Et placidæ latos vitæ meditatur honores
ASTRÆA; hoc vestri, vestri inq̃ muneris omne est.
Ergo vester honos, nomenq; decusq; manebunt,
Dum

Dum viuet Pietas, dumq; ipsa Liuonia viuam.
Vos modò (per vestrâ quod ego, ceu nuper, honorê,
Per magnum illum Oculum diuini Numinis oro,
Obtestorque) pio deferte hæc omnia Regi
Visa, audita; dolos tegite, & producite RECTVM,
Et planam monstrate viam, qua fœdere certo
Regaliq; manu æternum firmentur in æuum,
Quæ modò sollicito versastis pectore, cauto
Iudicio, planis rationibus, ordine dextro,
Consilioque graui solo sanxistis amore
Iusticiæ. in vestro (memini me dicere nuper)
Ore fideq; sita est mea spes, mea vita, salusque
Tota. animos penetrent hæc ô suspiria veltros,
Vel solum Patriæ sanctum & venerabile nomen
Vos moueat posthac, quod mouerat hæctenus: & sic
Ite domum incolumes: nec vos via lædat euntes,
Nec vis vlla gradum sistat: verùm omnis olympus,
Omnis ager vobis, fortunaque rideat omnis.

Ite meę memores, ceu vestræ (hęc summa!) salutis:
Res æqua est: æquum Mediis imponite finem.
Stabit apud memorem me tanti gratia facti,
Quod non vlla dies, non vllum obliteret æuum.
Vos sylux, montes, viridaria, flumina, campi,
Vos rura, atq; vrbes, vos templa Scholæq; loquẽtur;
O sacer Antistes, Lux ô Solicoiua: mitis

O Leo

O Leo: Lenicki lenis: grauis ore, animo sed
Schenkingi facilis: Charitum preciosius ostro
Delicium Ostroui: Bartrame fidelis: amcene
VVilzeki: crescens florentis Adorea Rigæ
Hilcheni: tuque Helia non vltime famá:
Tempus erit, si spem modò res impleuerit, omnis
Posteritas hilari quo vestra ad nomina vultu
Assurget, vobisque nouos impendet honores.
Ast illam rediuiua diem, *quá Rege iubente*
Esse ratam hanc formam, rata iura, rata omnia pacta,
Coelitus orta salus mihi post lamenta redibit,
Laticia votisq; piis celebrabo quotannis,
Ponam epulas, fundam vina, & lato omnia plausu
Altra fatigabo, sed sobria, casta, timensque
Numinis, & STEPHANI cepta immortalia diui
Ore ferens: tua sed, SIGEMVNDE, ad sydera tollens
Munera, diuino mihi continuata fauore:
Principii laus magna boni est: sed maxima finis.

F I N I S.

